Quo Priamus gaudere ſenex poſt Hectora poſſet
Hoc fuit, ille igitur tantorum victor Achille
Victus es a timido graiæ raptore maritæ.
At ſi fœmineo fuerat tibi marte cadendum, 610
Thermodontiaca malles cecidiſſe bipenni.
Iam timor ille Phrygum, decus, & tutela pelaſgi
Nominis Aeacides caput inſuperabile bello
Arſerat, armarat deus idem, idemq; cremarat.
Iam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille 615
Neſcio quid, paruã quod non bene cõpleat vrnã.
At viuit, totum quæ gloria compleat orbem.
Hæc illi menſura viro reſpondet, & hæc eſt
Par tibi pelide, nec inania tartara ſentit,
Ipſe etiam, vt cuius fuerit cognoſcere poſſes, 620
Bella mouet Clypeus, deq; armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oileus Aiax,
Non minor Atrides, non bello maior, & æuo,
Poſcere non alij, ſoli Telamone creato
Laertæq; fuit, tantæ fiducia laudis. 625
A ſe Tantalides onus, inuidiamq; remouit.
Argolicosq; duces mediis conſidere caſtris
Iuſſit, & arbitrium litis traiecit in omnes.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. XIII.

CONS Edere duces, & vulgi ſtante corona
Surgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Aiax.
Vtq; erat impatiẽs iræ, ſygæia toruo
Littora proſpexit, claſſemq; in littore vultu.
Intendensq; manus, agimus pro Iuppiter inquit 5

Ante rates causam, & mecum confertur Vlysses?
At non hectoreis dubitauit cedere flammis,
Quas ego sustinui, quas hac a classe fugaui.
Tutius est igitur fictis contendere verbis,
10 Quã pugnare manu, sed nec mihi dicere promptũ.
Nec facere est isti, quantumq; ego Marte feroci,
Inq; acie valeo, tantum valet iste loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta Pelasgi
Esse reor (vidistis enim) sua narret Vlysses,
15 Quæ sine teste gerit, quorũ nox conscia sola est.
Præmia magna peti fateor, sed demit honorem
Aemulus Aiaci, non est tenuisse superbum,
Sit licet hoc ingens, quicquid sperauit Vlysses.
Ipse tulit precium iam nunc certaminis huius,
20 Qui cum victus erit, mecum certasse feretur.
Atq; ego si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens, essem Telamone creatus
Mœnia qui forti Troiana sub Hercule cepit,
Littoraq; intrauit pagasæa Colcha carina.
25 Aeacus huic pater est, qui iura silentibus illic
Reddit, vbi Aeoliden saxũ graue Sisyphon vrget.
Aeacon agnouit summus, prolemq; fatetur
Iuppiter esse suam, sic a Ioue tertius Aiax.
Nec tamen hæc series in causam prosit Achiui,
30 Si mihi cum magno non est communis Achille.
Frater erat, fraterna peto, quid sanguine cretus
Sisyphio? furtisq;, & fraude simillimus illi
Inseris Aeacidis alienæ nomina gentis?
An q; in arma prior, nulloq; sub indice veni,
35 Arma neganda mihi? potiorq; videbitur illis,
Vltima qui cepit, detractauitq; furore

Militiam ficto: donec solertior isto,
Et sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitatacq; traxit ad arma.
Optima nunc sumat, qui sumere noluit vlla. 40
Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi,
Obtulimus quia nos ad prima pericula, simus:
Atq; vtinã, aut verus furor ille, aut creditus esset,
Nec comes huc phrygias vnq; venisset ad arces
Hortator scelerum, non te Pœantia proles 45
Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet,
Qui nũc vt (memorãt) syluestribus abditus antris,
Saxa moues gemitu, laertiadæq; precaris
Quæ meruit quæ, (si dij sunt) non vana precaris.
Et nunc ille eadem nobis iuratus in arma 50
(Heu pars vna ducum) quo successore sagittæ
Herculis vtuntur fractus morboq;, fameq;
Velaturq;, aliturq; auibus, volucresq; petendo
Debita Troianis exercet spicula fatis.
Ille tamen viuit, quia non comitatur Vlyssem. 55
Vellet & infœlix Palamedes esse relictus.
Viueret, aut certe letum sine crimine haberet.
Quẽ, male conuincti nimiũ memor iste furoris,
Prodere rem Danaum finxit, fictũq; probauit
Crimen, & ostendit q̃d iam præfoderat aurum. 60
Ergo aut exilio vires subduxit achiuis,
Aut nece, sic pugnat, sic est metuendus Vlysses.
Qui licet eloquio fidum quoq; Nestora vincat,
Haud tamen efficiet desertum vt Nestora crimen
Esse rear nullum, qui cum imploraret Vlyssem, 65
Vulnere tardus equi, fessusq; senilibus annis
Proditus a socio est, non hæc mihi crimina fingi.

Scit bene Tydides, qui nomine sæpe vocatum
Corripuit, trepidoq; fugam exprobrauit amico.
70 Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.
En eget auxilio, qui non tulit, vtq; reliquit,
Sic linquendus erat, legem sibi dixerat ipse.
Conclamat socios, adsum, videoq; trementem
Pallentemq; metu, & trepidantem morte futura,
75 Oppositi molem clypei, texiq; iacentem,
Seruauiq; animã (minimũ est hoc laudis) inertem.
Si perstas certare, locum redeamus ad illum.
Redde hostes, vulnusq; tuũ, solitumq; timorem
Post clypeumq; late, & mecum contende sub illo.
80 At postq̃ eripui, cui standi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adest, secumq; deos in prælia ducit,
Quaq; ruit, non tu tantum terreris Vlysse,
Sed fortes etiam, tantum trahit ille timoris.
85 Hunc ego sanguineæ successu cædis ouantem
Eminus ingenti resupinum pondere fudi,
Hunc ego poscentem, cum quo concurreret vnus
Sustinui, sortemq; meam vouistis Achiui.
Et vestræ valuere preces, si quæritis huius
90 Fortunam pugnæ, non sum superatus ab illo.
Ecce ferunt troes, ferrumq;, ignesq;, Iouemq;
In danaas classes, vbi tunc facundus Vlysses?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes
Spem vestri reditus, date pro tot nauibus arma.
95 Quod si vera licet mihi dicere, quæritur istis,
Quã mihi maior honos, coniũctaq; gloria nostra est.
Atq; Aiax armis, non Aiaci arma petuntur.
Conferat his Ithacus Rhesum, imbellẽq; Dolona,

Priamidenq; Helenũ rapta cum Pallade captum,
Luce nihil gestum est, nihil est Diomede remoto. 100
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma,
Diuidite, & pars sit maior Diomedis in illis.
Quo tñ hæc Ithaco? qui clam, qui semper inermi
Rem gerit, & furtis incautum decipit hostem.
Ipse nitor galeæ claro radiantis ab auro 105
Insidias prodet, manifestabitq; latentem.
Sed neq; Dulichius sub Achillis casside vertex
Pondera tanta feret, nec non onerosa, grauisq;
Pelias hasta potest imbellibus esse lacertis.
Nec clypeus vasti cælatus imagine mundi 110
Conueniet timidæ, natæq; ad furta sinistræ.
Debilitaturum quid te petis improbe munus?
Quod tibi, si populi donauerit error Achiui,
Cur spolieris erit, non cur metuaris ab hoste.
Et fuga, qua sola cunctos timidissime vincis, 115
Tarda futura tibi est gestamina tanta trahenti.
Adde quod iste tuus tam raro prælia passus
Integer est clypeus, nostro qui tela ferendo
Mille patet plagis, nouus est successor habendus.
Deniq; quid verbis opus est? spectemur agendo. 120
Arma viri fortis medios mittantur in hostes,
Inde iubete peti, & referentem ornate relatis.
Finierat Talamone satus, vulgiq; secutum
Vltima murmur erat, donec Laertius heros
Astitit, atq; oculos Paulum tellure moratos 125
Sustulit ad proceres, expectatoq; resoluit
Ora sono, neq; abest facundis gratia dictis.
Si mea cum vestris valuissent vota Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres,

130 Tucq tuis armis, nos te poteremur Achille.
Quem quoniã non æqua mihi, vobiscq negarunt
Fata (manucq simul veluti lachrymantia tersit
Lumina) quis magno melius succedit Achilli,
Quam per quẽ magnus Danais successit Achilles?
135 Huic modo ne prosit, q̃d vt est hebes, esse videtur,
Neve mihi noceat, quod vobis semper achiui
Profuit ingeniũ, meacq hæc facundia, si qua est,
Quæ nunc pro domino, pro vobis sæpe locuta est,
Inuidia careat, bona nec sua quiscq recuset.
140 Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco, sed enim quia rettulit Aiax
Esse Iouis pronepos, nostri quocq sanguinis autor
Iuppiter est, totidemcq gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laertes pater est, Arcesius illi
145 Iuppiter huic, necq in his quisq̃ damnatus, & exul.
Est quocq per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas, Deus est in vtrocq parente.
Sed necq materno cp sum generosior ortu,
Nec mihi cp pater est fraterni sanguinis insons,
150 Proposita arma peto, meritis expendite causam.
Dũmodo quod fratres Telamon, Peleuscq fuerũt,
Aiacis meritum non sit, nec sanguinis ordo.
Sed virtutis honor spoliis quæratur in istis.
Aut si proximitas, primuscq requiritur hæres,
155 Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi.
Quis locus Aiaci? Phthiam hæc Scyroncq ferãtur.
Nec minus est isto Teucer patruelis Achilli,
Non petit ille tamen, num si petat auferat illa?
Ergo operum quoniã nudum certamen habetur,
160 Plura quidem feci q̃ quæ comprendere dictis

In promptu mihi sit, rerum tamen ordine ducar.
Præscia venturi genitrix Nereia leti
Dissimulat cultu natum, & deceperat omnes,
In quibus Aiacem, sumptæ fallacia vestis.
Arma ego fœmineis animum motura virilem 165
Mercibus inserui, neq; adhuc proiecerat Heros
Virgineos habitus, cum parmã, hastamq; tenenti
Nate dea dixi tibi se peritura reseruant
Pergama, quid dubitas ingentẽ euertere Troiam?
Iniecíq; manum, fortemq; ad fortia misi 170
Ergo opera illius, mea sunt, ego Telephon hasta
Pugnantem domui, victum, orantemq; refeci.
Quod Thebæ cecidere, meũ est, me credite Lesbon,
Me Tenedon, Chrysenq;, & Cillan Apollinis vrbes,
Et Syron cepisse, mea concussa putate 175
Procubuisse solo Lyrnessia mœnia dextra.
Vtq; alios taceam, qui sæuum perdere posset,
Hectora nempe dedi, per me iacet inclytus Hector.
Illis hæc armis, quibus est inuentus Achilles,
Arma peto, viuo dederam, post fata reposco. 180
Vt dolor vnius Danaos peruenit ad omnes,
Aulidaq; Euboicam complerunt mille carinæ,
Expectata diu nulla, aut contraria classi
Flamina sunt, duræq; iubent, Agamẽnona sortes
Immeritam sæuæ natam mactare Dianæ. 185
Denegat hoc genitor, diuisq; irascitur ipsis,
Atq; in rege tamen, pater est, ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Nunc equidem fateor, fassoq; ignoscat Atrides,
Difficilem tenui sub iniquo iudice causam. 190
Hunc tamen vtilitas populi, fraterq;, datiq;,

Summa mouet sceptri, laudē vt cū sanguine pensēt,
Mittor & ad matrem, quæ non hortanda, sed astu
Decipienda fuit, quo si Telamonius isset,
195 Orba suis essent etiam num lintea ventis.
Mittor & Iliacas audax orator ad arces,
Visaq; & intrata est altæ mihi curia Troiæ.
Plenaq; adhuc erat illa viris, interritus egi
Quā mihi mandarat cōmunis Græcia causam,
200 Accusoq; Parim, prædamq;, Helenāq; reposco,
Et moueo Priamū, Priamoq; Antenora iunctū.
At Paris, & fratres, & qui rapuere sub illo,
Vix tenuere manus (scis hæc Menelae) nefandas.
Primaq; lux nostri tecum fuit illa pericli.
205 Longa referre mora est, quæ consilioq;, manuq;
Vtiliter feci spaciosi tempore belli.
Post acies primas, vrbis se mœnibus hostes
Continuere diu, nec aperti copia Martis
Vlla fuit, decimo demum pugnauimus anno.
210 Quid facis interea, qui nil nisi prælia nosti?
Quis tuus vsus erat? nam si mea facta requiris,
Hostibus insidior, fossas munimine cingo.
Consolor socios, vt longi tædia belli
Mente ferant placida, doceo quo simus alendi.
215 Armandiq; modo, mittor quo postulat vsus.
Ecce Iouis monitu deceptus imagine somni
Rex iubet incœpti curam dimittere belli,
Ille potest autore suam defendere vocem,
Non sinat hoc Aiax, delendaq; pergama poscat.
220 Quodq; potest, pugnet, cur non remoratur ituros?
Cur nō arma capit? det quod vaga turba sequatur.
Non erat hoc nimium, nunq; nisi magna loquenti.

Quid q̃ & ipse fugit? vidi, puduitq̃ videre,
Cum tu terga dares, inhonestaq̃ vela parares.
Nec mora, quid facitis? quæ vos dementia, dixi, 225
Concitat o socij captam dimittere Troiam?
Quidve domum fertis decimo nisi dedecus anno?
Talibus atq̃ aliis, in quæ dolor ipse disertum
Fecerat, auersos profuga de classe reduxi.
Conuocat Atrides socios terrore pauentes, 230
Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quicq̃
Audet, & ausus erat reges incessere dictis
Thersites, etiam per me haud impune proteruus.
Erigor, & trepidos ciues exhortor in hostes,
Amissamq̃ mea virtutem voce reposco. 235
Tempore ab hoc quodcũq̃ potest fecisse videri
Fortiter iste, meum est, qui dantem terga retraxi.
Deniq̃ de Danais quis te laudatve, petitve?
At sua Tydides mecum communicat acta,
Me probat, & socio semper confidit Vlysse. 240
Est aliquid de tot Graiorum millibus, vnum
A Diomede legi, nec me sors ire iubebat.
Sed tamen & spreto noctisq̃, hostisq̃ periclo
Ausum eadẽ quæ nos, phrygia de gente Dolona
Interimo, non ante tamen, quam cuncta coegi 245
Prodere, & edidici quid perfida Troia pararet.
Omnia cognorã, nec quid specularer habebam,
Etiam promissa poteram cum laude reuerti,
Haud contentus eo, petij tentoria Rhesi,
Inq̃ suis ipsum castris, comitesq̃ peremi, 250
Atq̃ ita captiuo victor, votisq̃ potitus,
Ingredior curru lætos imitante triumphos.
Cuius equos pretiũ pro nocte poposcerat hostis,

Arma negate mihi, fueritq; benignior Aiax.
255 Quid Lycij referam Sarpedonis agmina, ferro
Deuastata meo? cum multo sanguine fudi
Cæranon Iphitidenq;, Alastoraq;, Chromiumq;,
Alcandrũq;, Haliumq;, Noe monaq;, Pritanimq;,
Exitioq; dedi cum Pheridamante Thoona,
260 Et Charopem, fatisq; immitibus Eunomon actũ.
Quiq; minus celebres nostra sub mœnibus vrbis
Procubuere manu, sunt & mihi vulnera ciues
Ipso pulchra loco, nec vanis credite verbis.
Aspicite en (vestemq; manu diduxit) & hæc sunt
265 Pectora semper (ait) vestris exercita rebus.
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in socios, & habet sine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert, si se pro classe pelasga
Arma tulisse refert contra Troasq;, Iouemq;?
270 Confiteorq; tulit, neq; enim bene facta maligne
Detrectare meum est, modo ne communia solus
Occupet, atq; aliquẽ nobis quoq; reddat honorẽ,
Reppulit Actorides sub imagine tutus Achillis
Troas ab arsuris cum defensore carinis,
275 Ausum etiam Hectoreis solum concurrere telis
Se putat, oblitus regisq;, ducisq;, meiq;,
Nonus in officio, & prælatus munere sortis.
Sed tamen euentus vestræ fortissime pugnæ
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.
280 Me miserum quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius, quo graium murus Achilles
Procubuit, nec me lachrimæ, luctusq;, timorq;,
Tardarunt, quin corpus humo sublime referrem
His humeris, his inq̃ humeris, ego corpus Achillis

Et simul arma tuli, quæ nũc quoq; ferre laboro, 285
Sunt mihi quæ valeant in talia pondera vires,
Est animus certe vestros sensurus honores.
Scilicet iccirco pro nato Cœrula mater
Ambitiosa suo fuit, vt cœlestia dona
Artis opus tantæ rudis, & sine pectore miles 290
Indueret: neq; enim clypei cælamina nouit,
Oceanum, & terras, cumq; alto sydera cœlo
Pleiadasq;, Hyadasq;, immunẽq; æquoris Arcton,
Diuersasq; vrbes, nitidumq; Orionis ensem,
Postulat, vt capiat quæ non intelligit arma. 295
Quid? q; me duri fugientem munera belli
Arguit incœpto serum accessisse labori?
Nec se magnanimo maledicere sentit Achilli?
Si simulasse vocas crimen, simulauimus ambo.
Si mora pro culpa est, ego sum maturior illo. 300
Me pia detinuit coniux, pia mater Achillem.
Primaq; sunt illis data tempora, cætera vobis.
Haud timeo, si iam nequeam defendere crimen
Cum tanto commune viro, deprensus Vlyssis
Ingenio tamen ille, at non Aiacis, Vlysses. 305
Neve in me stolidæ conuicia fundere linguæ
Admiremur eum, vobis quoq; digna pudore
Obiicit, an falso Palamedem crimine turpe est
Accusasse mihi? vobis damnasse decorum?
Sed neq; Naupliades facinus defendere tantum 310
Tamq; patens valuit, nec vos audistis in illo
Crimina, vidistis, pretio quæ obiecta patebant.
Nec Pæantiaden, q; habet Vulcania Lemnos
Esse reus merui, crimen defendite vestrum,
(Consensistis enim) nec me suasisse negabo, 315

Vt se subtraheret bellicq, viæcq labori,
Tentaretcq feros requie lenire dolores.
Paruit, & viuit, non hæc sententia tantum est
Fida, sed & fœlix cum sit, facit esse fidelem.
320 Quem quoniã Vates delenda ad pergama poscũt,
Ne mandate mihi, melius Telamonius ibit,
Eloquiocq virum morbis, iracq furentem
Molliet, aut aliqua perducet callidus arte.
Ante retro Simoiscq fluet, sine frondibus Ide
325 Stabit, & auxilium promittet Achaia Troiæ,
Quãm cessante meo pro vestris pectore rebus
Aiacis stolidi Danais solertia prosit,
Sis licet infestus sociis, regicq, mihicq
Dure Philoctete, licet execrere, meumcq
330 Deuoueas sine fine caput, cupiascq dolenti
Me tibi forte dari, nostrumcq haurire cruorem,
Vtcq tui mihi, sic fiat tibi, copia nostri,
Te tamen aggrediar, mecumcq reducere nitar,
Tamcq tuis potiar (faueat fortuna) sagittis,
335 Quam sum Dardanio, quem cepi, Vate potitus.
Quam responsa deum, Troianacq fata retexi,
Quã rapui Phrygiæ signũ penetrale Mineruæ
Hostibus e mediis, & se mihi comparat Aiax.
Nempe capi Troiam prohibebant fata sine illo
340 Fortis vbi est Aiax? vbi sunt ingentia magni
Verba viri? cur hic metuit? cur audet Vlysses
Ire per excubias? & se committere nocti?
Percq feros enses, non tantum mœnia Troiæ,
Verum etiam summas arces intrare, suacq
345 Eripere æde deam, raptamcq afferre per hostes.
Quæ nisi fecissem, frustra Telamone creatus

Geſtaſſet leua taurorum tergora ſeptem.
Illa nocte mihi Troiæ victoria parta eſt,
Pergama tunc vici, cum vinci poſſe coegi.
Deſine Tydiden vultuq̃, & murmure nobis 350
Oſtentare meum, pars eſt ſua laudis in illo.
Nec tu, cum ſocia clypeum pro claſſe tenebas
Solus eras, tibi turba comes, mihi contigit vnus.
Qui niſi pugnacem ſciret ſapiente minorem
Eſſe, nec indomitæ deberi præmia dextræ, 355
Ipſe quoq̃ hæc peteret, peteret moderatior Aiax,
Eurypylusq̃ ferox, claroq̃ Andremone natus,
Nec minus Idomeneus, patriaq̃ creatus eadem
Meriones, peteret maioris frater Atridæ.
Quippe manu fortes, nec ſunt tibi Marte ſecundi. 360
Conſiliis ceſſere meis, tibi dextera bello
Vtilis, ingeniũ eſt, quod eget moderamine noſtro.
Tu vires, ſine mente geris, mihi cura futuri eſt,
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides, tu tantum corpore prodes, 365
Nos animo, q̃toq̃ ratem qui temperat, anteit
Remigis officium, q̃to dux milite maior,
Tantum ego te ſupero, nec non in corpore noſtro
Pectora ſunt potiora manu, vigor omnis in illis.
At vos o proceres vigili date præmia veſtro, 370
Proq̃ tot annorum curis, quas anxius egi,
Hunc titulum meritis penſandum reddite noſtris.
Iam labor in fine eſt, obſtantia fata remoui.
Altaq̃ poſſe capi faciendo pergama cepi.
Per ſpes nunc ſocias, caſuraq̃ mœnia Troum. 375
Perq̃ deos oro, quos hoſti nuper ademi,
Per ſi quid ſupereſt, quod ſit ſapienter agendum,

Si quid adhuc audax, ex præcipitiq; petendũ est,
Si Troiæ fatis aliquid restare putatis,
380 Este mei memores, aut si mihi non datis arma,
Huic date, & ostendit signum fatale Mineruæ.
Mota manus procerũ est, & quid facundia posset,
Tunc patuit, fortisq; viri tulit arma disertus.
Hectora qui solus, qui ferrũ, ignesq;, Iouemq;
385 Sustinuit toties, vnam non sustinet iram.
Inuictumq; virum vicit dolor, arripit ensem.
Et meus hic certe est, an & hũc sibi poscit Vlysses?
Hoc ait vtendum est in me mihi, quiq; cruore
Sæpe Phrygũ maduit, domini nũc cæde madebit,
390 Ne quisq̃ Aiacem possit superare, nisi Aiax.
Dixit, & in pectus tum demum vulnera passum
Qua patuit ferro, letalem condidit ensem.
Nec valuere manus infixum educere telum.
Expulit ipse cruor, rubefactaq; sanguine tellus
395 Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroq;, viroq;
Inscripta est foliis, hæc nominis, illa querelæ.
Victor ad Hypsipyles patriam, clariq; Thoantis
400 Et veterum terras infames cæde virorum,
Vela dat, vt referat Tirynthia tela sagittas.
Quæ postq̃ ad graios domino comitante reuexit,
Impositaq; fero est tandem manus vltima bello.
Troia simul, Priamusq; cadũt, Priameia coniux.
405 Perdidit infœlix hominis post omnia formam.
Externasq; nouo latratu terruit auras.
Longus in angustũ qua clauditur Hellespontus,
Ilion ardebat, neq; adhuc consederat ignis,

Exiguumq; ſenis Priami Iouis ara cruorem
Combiberat,tractisq; comis antiſtia Phœbi 410
Non profecturas tendebat ad æthera palmas,
Dardanidas matres patriorum ſigna deorum
Dum licet amplexas,ſuccenſaq; templa tenentes
Inuidioſa trahunt victores præmia Graij
Mittitur Aſtyanax illis de turribus,vnde 415
Pugnantem pro ſe,proauitaq; regna tuentem
Sæpe videre patrẽ monſtratum a matre ſolebat.
Iamq; viam ſuadet Boreas,flatuq; ſecundo
Carbaſa mota ſonant,iubet vti nauita ventis.
Troia vale,rapimur,clamant,dant oſcula terræ 420
Troades,& patriæ fumantia tecta relinquunt.
Vltima conſcendit claſſem miſerabile viſu
In mediis Hecube natorum inuenta ſepulchris.
Prenſantem tumulos,atq; oſſibus oſcula dantem
Dulichiæ traxere manus,tamen vnius hauſit, 425
Inq; ſinu cineres ſecum tulit Hectoris hauſtos.
Hectoris in tumulo canum de vertice crinem
Inferias inopes,crinem,lachrymasq; reliquit.
Eſt,vbi Troia fuit,phrygiæ contraria tellus
Biſtoniis habitata viris,Polymneſtoris illic 430
Regia diues erat,cui te commiſit alendum
Clam Polydore pater,phrygiisq; remouit ab armis
Conſilium ſapiens ſceleris niſi præmia,magnas
Adieciſſet opes,animi irritamen auari.
Vt cecidit fortuna Phrygum,capit impius enſem 435
Rex Thracum,iuguloq; ſui demiſit alumni.
Et tanq̃ tolli cum corpore crimina poſſent,
Exanimem ſcopulo ſubiectas miſit in vndas.
Littore threicio claſſem religarat Atrides,

440 Dum mare pacatum, dum ventus mitior esset,
Hic subito, q̃tus cum viueret, esse solebat
Exit humo late rupta, similisq; minanti
Temporis illius vultum referebat Achilles,
Quo ferus iniusto petiit Agamemnona ferro.
445 Immemoresq; mei discedítis inquit Achiui:
Obrutaq; est mecum virtutis gratia nostræ:
Ne facite, vtq; meũ non sit sine honore sepulchrũ,
Placet Achilleos mactata Polyxena manes.
Dixit, & immitti sociis parentibus vmbræ
450 Rapta sinu matris, quã iam prope sola fouebat.
Fortis, & infœlix, & plusq̃ fœmina virgo
Ducitur ad tumulum, diroq; fit hostia busto.
Quæ memor ipsa sui, postq̃ crudelibus aris
Admota est, sensitq; sibi fera sacra parari,
455 Vtq; Neoptolemũ stantem, ferrumq; tenentem,
Vtq; suo vidit figentem lumina vultu,
Vtere iandudum generoso sanguine dixit,
Nulla mora est, aut tu iugulo, vel pectore telum
Conde meo, iugulumq; simul, pectusq; retexit.
460 Scilicet haud vlli seruire Polyxena vellem.
Haud per tale sacrum numen placabitis vllum.
Mors tantum vellem, matrem mea fallere posset,
Mater obest, minuitq; necis mihi gaudia, quamuis
Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est.
465 Vos modo, ne stygios adeam non libera manes,
Este procul, si iusta peto, tactuq; viriles
Virgineo remouete manus, acceptior illi,
Quisquis is est, quem cæde mea placare paratis,
Liber erit sanguis, si quos tamen vltima nostri
470 Verba mouent oris, Priami vos filia regis

Nunc captiua rogat, genitrici corpus inemptum
Reddite, neve auro redimat ius triste sepulchri,
Sed lachrymis, tunc cũ poterat redimebat & auro.
Dixerat, & populus lachrymas, quas illa tenebat,
Non tenet, ipse etiam flens, inuitusq; sacerdos 475
Præbita coniecto rupit præcordia ferro.
Illa super terram defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos ad fata nouissima vultus.
Tunc quoq; cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, castiq; decus seruare pudoris 480
Troades excipiunt, deploratosq; recensent
Priamidas, & quid dederit domus vna cruoris.
Teq; gemunt virgo, teq; o modo regia coniux,
Regia dicta parens, Asiæ florentis imago,
Nunc etiã prædæ mala sors, quã victor Vlysses 485
Esse suam nollet, nisi q̃ tamen Hectora partu
Ediderat, dominum matri vix repperit Hector.
Quæ corpus complexa animæ tam fortis inane,
Quas toties patriæ dederat natisq;, viroq;,
Huic q̃q; dat lachrymas, lachrymas in vulnera fũdit 490
Osculaq; ore tegit, consuetaq; pectora plangit,
Canitiemq; suam concreto in sanguine verrens,
Plura quidẽ, sed & hæc laniato pectore dixit.
Nata tuæ (quid em̃ superest?) dolor vltime matris
Nata iaces, videoq; meum tua vulnera pectus. 495
Et ne perdiderim quenq̃ sine cæde meorum,
Tu quoq; vulnus habes, at te quia fœmina, rebar
A ferro tutam, cecidisti & fœmina ferro.
Totq; tuos idem fratres, te perdidit idem
Exitium Troiæ, nostriq; orbator Achilles. 500
At postq̃ cecidit Paridis, Phœbiq; sagittis,

Nunc certe dixi, non est metuendus Achilles.
Nunc quoq; mi metuendus erat, cinis ipse sepulti
In genus hoc sæuit, tumulo quoq; sensimus hostē.
505 Aeacide fœcunda fui, iacet Ilion ingens,
Euentuq; graui finita est publica clades.
Sed finita tamen, soli mihi Pergama restant,
In cursuq; meus dolor est, modo maxima rerum
Tot generis, natisq; potens, nuribusq;, viroq;,
510 Nunc trahor exul, inops, tumulis auulsa meorum,
Penelope munus, quæ me data pensa trahentem
Matribus ostendens Ithacis, hæc Hectoris illa est
Clara parens, hæc est dicet Priameia coniux.
Postq; tot amissos tu nunc quæ sola leuabas
515 Maternos luctus, hostilia busta piasti.
Inferias hosti peperi, quo ferrea resto?
Quidve moror? quo me seruas damnosa senectus?
Quo dij crudeles? nisi quo noua funera cernam,
Viuacem differtis anum? quis posse putaret
520 Fœlicem Priamum post diruta pergama dici?
Fœlix morte sua est, nec te mea nata peremptam
Aspicit, & vitam pariter, regnumq; reliquit.
At puto funeribus dotabere regia virgo,
Condeturq; tuum monimentis corpus auitis.
525 Non hæc est fortuna domus, tibi munera matris
Contingent fletus, peregrinæq; haustus arenæ.
Omnia perdidimus, superest cur viuere tempus
In breue sustineam, proles gratissima matri
Nunc solus, quondam minimus de stirpe virili
530 Has datus Ismario regi Polydorus in oras.
Quid moror interea crudelia vulnera lymphis
Abluere? & sparsos immitti sanguine vultus?

Dixit, & ad littus passu procedit anili
Albentes lacerata comas, date Troades vrnam
Dixerat infœlix, liquidas hauriret vt vndas, 535
Aspicit eiectum Polydori in littore corpus,
Factaq; threiciis ingentia vulnera telis.
Troades exclamant, obmutuit illa dolore,
Et pariter vocẽ, lachrymasq; introrsus obortas
Deuorat ipse dolor, duroq; simillima saxo 540
Torpet, & aduersa figit modo lumina terra,
Interdum toruos extollit ad æthera vultus,
Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera nati
Vulnera præcipue, secq; armat, & instruit ira.
Qua simul exarsit, tanq̃ regina maneret, 545
Vlcisci statuit, pœnæq; in imagine tota est.
Vtq; furit catulo lactente orbata Leæna,
Signaq; nacta pedũ sequitur, quẽ non videt hostẽ,
Sic Hecube, postq̃ cum luctu miscuit iram,
Non oblita animorũ, annorum oblita suorum, 550
Vadit ad artificem diræ Polymnestora cædis,
Colloquiumq; petit, nam se monstrare relictum
Velle latens illi quod nato redderet aurum.
Credidit Odrysius prædæq; assuetus amore,
In secreta venit, tum blando callidus ore 555
Tolle moras Hecube dixit, da munera nato,
Omne fore illius quod das, quod & ante dedisti
Per superos iuro, spectat truculenta loquentem,
Falsaq; iurantem, tumidaq; exæstuat ira.
Atq; ita correpto, captiuarum agmina matrum 560
Inuocat, & digitos in perfida lumina condit,
Expilatq; genis oculos facit ira valentem.
Immergitq; manus, fœdataq; sanguine sonti

Non lumen (necq; em̃ superest) loca luminis haurit.
565 Clade sui Thracum gens irritata tyranni
Troada telorum, lapidumq; incessere iactu
Cœpit, at hæc missum rauco cũ murmure saxum
Morsibus insequitur, rictuq; ad verba parato
Latrauit conata loqui, locus extat, & ex re
570 Nomen habet, veterũq; diu memor illa malorum,
Tum quoq; Sithonios vlulauit mœsta per agros.
Illius Troasq; suos, hostesq; Pelasgos
Illius fortuna deos quoq; mouerat omnes,
Sic omnes, vt & ipsa Iouis coniuxq;, sororq;,
575 Euentus Hecubam meruisse negauerit illos.
Non vacat auroræ, quanq̃ iisdem fauerat armis,
Cladibus, & casu Troiæq;, Hecubæq; moueri.
Cura deam propior, luctusq; domesticus angit.
Memnonis amissi, phrygiis quem luthea campis,
580 Vidit Achillea pereuntem cuspide mater.
Vidit, & ille collor, quo matutina rubescunt
Tempora, palluerat, latuitq; in nubibus æther.
At non impositos supremis ignibus artus
Sustinuit spectare parens, sed crine soluto,
585 Sicut erat, magni genibus procumbere non est
Dedignata Iouis, lachrymisq; has addere voces:
Omnibus inferior, quas sustinet aureus Aether,
(Nam mihi sunt totũ rarissima tẽpla per orbem)
Diua tamen veni, non vt delubra, diesq;
590 Des mihi sacrificos, calituras q; ignibus aras.
Si tamen aspicias quantum tibi fœmina præstem,
Tum cum luce noua, noctis confinia seruo,
Præmia danda putes, sed non ea cura, neq; hic est
Nunc, status auroræ, meritos vt poscat honores.

Memnonis orba mei, venio, qui fortia fruſtra 595
Pro patruo tulit arma ſuo, primiſq; ſub annis
Occidit a forti (ſic dij voluiſtis) Achille,
Da precor huic aliquē ſolatia mortis honorem
Summe deum rector, maternaq; vulnera leni.
Iuppiter annuerat, cum Memnonis arduus alto 600
Corruit igne rogus, nigriq; volumina fumi
Infecere diem, veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec Sol admittitur infra.
Atra fauilla volat, glomeratacq; corpus in vnum
Denſatur, faciemq; capit, ſumitq; colorem. 605
Atq; animum ex igni, leuitas ſua præbuit alas.
Et primo ſimilis volucri, mox vera volucris
Inſonuit pennis, pariter ſonuere ſorores
Innumeræ, quibus eſt eadem natalis origo.
Terq; rogum luſtrant, & conſonus exit in auras 610
Ter plangor, quarto ſeducunt caſtra volatu.
Tunc duo diuerſa populi de parte feroces
Bella gerunt, roſtriſq; & aduncis vnguibus iras
Exercent, alasq;, aduerſaq; pectora laſſant.
Inferiæq; cadunt cineri cognata ſepulto 615
Corpora, ſeq; viro forti meminere creatas.
Præpetibus ſubitis nomen facit autor, ab illo
Memno nides dictæ, cum Sol duodena peregit
Signa, parentali morituræ more rebellant.
Ergo aliis latraſſe Dymantida flebile viſum eſt, 620
Luctibus eſt aurora, ſuis intenta, piaſq;
Nunc quoq; dat lachrymas, & toto rorat in orbe.
Non tamen euerſam Troiæ cum mœnibus eſſe
Spem quoq; fata ſinūt, ſacra, & ſacra altera patrē
Fert humeris venerabile onus cythereius Heros, 625

De tantis opibus prædam pius eligit illam,
Ascaniumq; suum, profugaq; per æquora classe
Fertur ab Antandro, sceleratacq; littora Thracum
Et Polydoræo manantem sanguine terram
630 Linquit, & vtilibus ventis, æstuq; secundo
Intrat Apollineam sociis comitantibus vrbem.
Hunc Anius quo rege homines, antistite Phœbus
Rite colebatur, temploq;, domoq;, recepit,
Vrbemq; ostendit, delubraq; nota, duasq;
635 Latona quondam stirpes pariente retentas.
Thure dato flammis, vinoq; in thura profuso,
Cæsarumq; boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt, positisq; tapetibus altis
Munera cum liquido capiunt cerealia Baccho.
640 Tunc pius Anchises, o Phœbi lecte sacerdos
Fallor: an & natum, cum primũ hæc mœnia vidi,
Bisq; duas natas, quantũ reminiscor, habebas:
Huic Anius niueis circundata tempora vittis
Concutiens, & tristis, ait, non falleris Heros
645 Maxime, vidisti natorum quinq; parentem.
Quẽ nunc tanta homines rerũ incõstantia versat,
Pene vides orbum, quod enim mihi filius absens
Auxilium: quem dicta suo de nomine tellus
Andros habet, pro patre locũq; & regna tenẽtem.
650 Delius augurium dedit huic, dedit altera Liber
Fœmineæ stirpi voto maiora, fideq;
Munera, nam tactu natarum cuncta mearum
In segetem, laticemq; meri, baccamq; Mineruæ
Transformabantur, diuesq; erat vsus in illis.
655 Hoc vbi cognouit Troiæ populator Atrides,
(Ne non ex aliqua vestram sensisse procellam

Nos quoq; parte putes) armorum viribus vsus
Abstrahit inuitas gremio genitoris, alantq;,
Imperat argolicam cœlesti munere gentem.
Effugiunt quo quæq; potest, Euboea duabus, 660
Et totidem natis Andros fraterna petita est.
Miles adest, & ni dedantur, bella minatur.
Victa metu pietas consortia corpora pœnæ
Reddidit, & timido posces ignoscere fratri.
Non hic Aeneas, non qui defenderet Andron 665
Hector erat, per quos decimũ durastis in annum.
Iamq; parabantur captiuis vincla lacertis,
Illæ tollentes etiam num libera cœlo
Brachia, Bacche pater fer opem dixere, tulitq;
Muneris autor opem (si miro perdere more 670
Ferre vocatur opem) nec qua ratione figuram
Perdiderint, potui scire, aut nunc dicere possum.
Summa mali nota est, pennas sumpsere, tuæq;
Coniugis, in volucres niueas abiere columbas.
Talibus, atq; aliis postq̃ conuiuia dictis 675
Implerunt, mensa somnum petiere remota,
Cumq; die surgunt, adeuntq; oracula Phœbi.
Qui petere antiquam matrem, cognataq; iussit
Littora, prosequitur rex, & dat munus ituris.
Anchisæ sceptrũ, chlamydem, pharetrãq; nepoti. 680
Craterem Aeneæ, quem quondam miserat illi
Hospes ab æmoniis Therses Ismenius oris.
Miserat hunc illi Therses, fabricauerat Alcon
Myleus, & longo cælauerat argumento.
Vrbs erat, & septem posses ostendere portas, 685
Hæ pro nomine erant, & quæ foret illa docebant.
Ante vrbem exequiæ tumuliq;, ignesq;, rogiq;,

Effusæq; comas, & apertæ pectora matres
Significant luctũ, Nymphæ quoq; flere videtur,
690 Siccatosq; queri fontes, sine frondibus arbor
Nuda riget, lambunt arentia saxa capellæ.
Ecce facit mediis natas ab Orione Thebis
Hanc non fœmineũ iugulo dare pectus aperto,
Illam demisso per fortia pectora telo
695 Pro populo cecidisse suo, pulchrisq; per vrbem
Funeribus ferri, celebriq; in parte cremari.
Tum de virginea geminos exire fauilla
Ne genus intereat iuuenes, quos fama coronas
Nominat, & cineri materno ducere pompam.
700 Hactenus antiquo signis fulgentibus ære
Summus inaurato Crater erat asper Achanto.
Nec leuiora datis Troiani dona remittunt,
Dantq; sacerdoti custodem thuris acerram,
Dant pateram, clarãq; auro, gẽmisq; coronam.
705 Inde recordati Teucros a sanguine Teucri
Ducere principium, Cretam tenuere, locisq;
Ferre diu nequiere Iouem, centumq; relictis
Vrbibus, ausonios optant contingere portus.
Sæuit hyems, iactatq; viros, Strophadũq; receptos
710 Portibus infidis exterruit ales Aello.
Et iam Dulichios portus, Ithacamq;, Samũq;,
Neritiasq; domos regnum fallacis Vlyssei,
Prætereunt vecti certatam lite deorum
Ambraciam, versiq; vident sub imagine saxum
715 Iudicis, actiaco quæ nunc ab Apolline nota est,
Vocalemq; sua terram Dodonida quercu.
Chaoniosq; sinus, vbi nati rege Molosso
Impia subiectis fugere incendia pennis.

Proxima Phæacum fœlicibus obsita pomis
Rura petunt, Epiros ab his regnataq; Vati 720
Butrothos phrygio, simulataq; Troia tenetur,
Inde futurorum certi, quæ cuncta fideli
Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant
Sicaniam, tribus hæc excurrit in æquora linguis.
E quibus imbriferos versa est Pachynos ad austros. 725
Mollibus expositũ Zephyris Lilybæon, ad Arctos
Aequoris expertes, spectat Boreamq; Peloros.
Hanc subeunt Teucri remis, æstuq; secundo,
Sub noctem potitur Zanclæa classis Arena.
Scylla latus dextrũ, leuum irrequieta Charybdis 730
Infestant, vorat hæc raptas, reuomitq; carinas.
Illa feris atram canibus succingitur aluum
Virginis ora gerens, & (si non omnia Vates
Ficta reliquerũt) aliquo quoq; tempore virgo.
Hanc multi petiere proci, quibus illa repulsis 735
Ad Pelagi Nymphas, Pelagi gratissima Nymphis
Ibat, & elusos iuuenum narrabat amores,
Quam, dum pectendos præbet Galatea capillos,
Talibus alloquitur referens supiria dictis.
Te tamen o virgo genus haud immite virorum 740
Expetit, vtq; facis, potes his impune negare.
At mihi, cui pater est Nereus, quã cœrula Doris
Enixa est, quæ sum turba quoq; tuta sororum,
Non nisi per luctus licuit Cyclopis amorem
Effugere, & lachrymæ vocẽ impediere loquentis. 745
Quas vbi marmoreo detersit pollice virgo.
Et solata deam est, refero gratissima dixit,
Neve tui causam tege, sum tibi fida doloris.
Nereis his contra resecuta Crateide natam est.

750 Acis erat Fauno, Nymphaq; Simethide cretus,
Magna quidē patrisq; sui, matrisq; voluptas,
Nostra tamen maior, nam me sibi iunxerat vni
Pulcher, & Octonis iterum natalibus actis
Signarat teneras dubia lanugine malas.
755 Hunc ego, me Cyclops nullo cum fine petebat.
Nec si quæsieris odium Cyclopis, amor ne
Acidis in nobis fuerit præstantior, edam.
Par vtrunq; fuit, pro quanta potentia regni
Est Venus alma tui, nempe ille immitis, & ipsis
760 Horrendus syluis, & visus ab hospite nullo
Impune, & magni cum diis contemptor Olympi,
Quid sit amor sentit, nostriq; cupidine captus
Vritur oblitus pecorum, antrorumq; suorum.
Iamq; tibi formæ, iamq; est tibi cura placendi
765 Iam rigidos pectis rastris Polypheme capillos.
Iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam,
Et spectare feros in aqua, & componere vultus.
Cædis amor, feritasq;, sitisq; immensa cruoris
Cessant, & tutæ veniunt, abeuntq; carinæ.
770 Telemus interea siculum delatus in æquor
Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales
Terribilem Polyphemon adit, lumenq; q̃d vnum
Fronte geris, media rapiet tibi dixit Vlysses.
Risit, & o vatum stolidissime falleris (inquit)
775 Altera iam rapuit, sic frustra vera monentem
Spernit, & aut gradiens ingenti littora passu
Degrauat, aut fessus sub opaca reuertitur antra.
Prominet in pontum cuneatus acumine longo
Collis, vtrunq; latus circunfluit æquoris vnda.
780 Huc ferus ascendit Cyclops, mediusq; resedit.

Lanigeræ pecudes nullo ducente secutæ.
Cui postq̃ pinus baculi quæ præbuit vsum,
Ante pedes posita est antennis apta ferendis,
Sumptaq; arundinibus cõpacta est fistula centũ,
Senserun t toti pastoria sibila montes. 785
Senserunt vndæ, latitans ego rupe, meiq;
Acidis in gremio residens procul auribus hausi.
Talia dicta meis, auditaq; verba notaui.
Candidior folio niuei Galatea Ligustri,
Floridior prato, longa procerior Alno, 790
Splendidior vitro, tenero lasciuior Hœdo,
Leuior assiduo detritis æquore Conchis,
Solibus hybernis, æstiua gratior vmbra,
Nobilior pomis, Platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior vua, 795
Mollior & Cygni plumis, & lacte coacto,
Et si non fugias, riguo formosior horto.
Sæuior indomitis eadem Galatea iuuencis
Durior annosa quercu, fallacior vndis,
Lentior & Salicis virgis, & Vitibus albis, 800
His immobilior scopulis, violentior amne,
Laudato Pauone superbior, acrior igni,
Asperior tribulis, fœta truculentior vrsa,
Surdior æquoribus, calcato immitior Hydro,
Et quod præcipue (si possem) demere vellem, 805
Non tantum Ceruo claris latratibus acto,
Verum etiam ventis, volucriq; fugacior aura.
At bene si noris, pigeat fugisse, morasq;
Ipsa tuas damnes, & me retinere labores.
Sunt mihi pars montis viuo pendentia saxo 810
Antra, quibus nec Sol medio sentitur in æstu,

Nec ſentitur hyems, ſunt poma grauantia ramos,
Sunt auro ſimiles longis in vitibus vuæ,
Sunt & purpureæ, tibi & has ſeruamus, & illas.
815 Ipſa tuis manibus ſylueſtri nata ſub vmbra
Mollia fraga leges, ipſa autumnalia corna,
Prunaq; non ſolum nigro liuentia ſucco,
Verum etiam generoſa, nouasq; imitantia cæras.
Nec tibi caſtaneæ me coniuge, nec tibi deerunt
820 Arbutei fœtus, omnis tibi ſeruiet arbos.
Hoc pecus omne meũ eſt, multæ quoq; vallibus errãt,
Multas ſylua tegit, multæ ſtabulantur in antris.
Nec (ſi forte roges) poſſem tibi dicere, quot ſunt.
Pauperis eſt numerare pecus, de laudibus harum
825 Nil mihi credideris, præſens potes ipſa videre.
Vt vix ſuſtineant diſtentum cruribus vber.
Sunt fœtura minor tepidis in ouilibus agni.
Sunt quoq; par ætas aliis in ouilibus Hœdi.
Lac mihi ſemper adeſt niueũ, pars inde bibenda
830 Seruatur, partem liquefacta coagula durant.
Nec tibi delitiæ faciles, vulgataq; tantum
Munera contingent, Damæ, leporesq;, capræq;
Parq; columbarũ, demptusve cacumine nidus,
Inueni geminos, qui tecum ludere poſſunt,
835 Inter ſe ſimiles, vix vt dignoſcere poſſis,
Villoſæ catulos in ſummis montibus vrſæ,
Inueni, & dixi dominæ ſeruabimus iſtos.
Iam modo Cœruleo nitidum caput exere Ponto,
Iam Galatea veni, nec munera deſpice noſtra.
840 Certe ego me noui, liquidæq; in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitq; mihi mea forma videnti.
Aſpice ſim quantus, non eſt hoc corpore maior

Iuppiter in cœlo(nam vos narrare soletis
Nescio quē regnare Iouem)coma plurima toruos
Prominet in vultus,humeroscꝫ vt lucus obumbrat. 845
Nec mea cꝫ duris horrent densissima setis
Corpora,turpe puta,turpis sine frondibus arbor.
Turpis equus,nisi colla iubæ flauentia velent.
Pluma tegit volucres,ouibus sua lana decori est.
Barba viros,hirtæcꝫ decent in corpore setæ. 850
Vnum est in media lumen mihi fronte,sed instar
Ingentis clypei,quid non hæc omnia magno
Sol videt e cœlo? Solis tamen vnicus orbis.
Adde,cꝫ in vestro genitor meus æquore regnat.
Hunc tibi do socerum,tantum miserere,precescꝫ 855
Supplicis exaudi,tibi enim succumbimus vni.
Quicꝫ Iouem,& cœlū sperno, & penetrabile fulmen
Nerei te vereor,tua fulmine sæuior ira est.
Atcꝫ ego contemptus essem patientior huius,
Si fugeres omnes,sed cur Cyclope repulso 860
Acin amas? præfers cꝫ meis amplexibus Acin?
Ille tamen placeatcꝫ sibi,placeatcꝫ,licebit,
Quod nollem Galatea,tibi,modo copia detur,
Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires.
Viscera viua traham,diuulsacꝫ mēbra per agros, 865
Percꝫ tuas spargam,si se tibi misceat,vndas.
Vror enim,læsuscꝫ exæstuat acrior ignis,
Cumcꝫ suis videor translatam viribus Aetnam
Pectore ferre meo,nec tu Galatea moueris.
Talia nequicq̄ quæstus(nam cuncta videbam) 870
Surgit,& vt taurus vacca furibundus adempta
Stare nequit,syluacꝫ,& notis saltibus errat.
Cum ferus ignaros,nec quicq̄ tale timentes

Me videt, atq; Acim, videoq; exclamat, & ista
875 Vltima sit, faciam, Veneris concordia vestræ.
Tantaq; vox, quantam Cyclops iratus habere
Debuit, illa fuit, clamore perhorruit Aetna.
Ast ego vicino pauefacta sub æquore mergor.
Terga fugæ dederat conuersa Simethius Heros.
880 Et fer opem Galatea (precor) mihi ferte parentes.
Dixerat, & vestris periturum admittite regnis.
Insequitur Cyclops, partemq; e monte reuulsam
Mittit, & extremus q̃uis peruenit ad illum
Angulus e saxo, totum tamen obruit Acim.
885 At nos quod fieri solum per fata licebat,
Fecimus, vt vires assumeret Acis auitas.
Puniceus de mole cruor manabat, & intra
Temporis exiguum rubor euanescere cœpit.
Fitq; color primo turbati fluminis imbre,
890 Purgaturq; mora, tum moles tacta dehiscit,
Viuaq; per rimas, proceraq; surgit arundo.
Osq; cauum saxi sonat exultantibus vndis.
Miraq; res, subito media tenus extitit aluo
Incinctus iuuenis flexis noua cornua cannis.
895 Qui, nisi q̃ maior, q̃ toto cœrulus ore est,
Acis erat, & sic quoq; erat tamẽ Acis in amnem
Versus, & antiquum tenuerunt flumina nomen.
Desierat Galatea loqui, cœtuq; soluto
Discedunt, placidisq; natant Nereides vndis.
900 Scylla redit, neq; enim medio se credere ponto
Audet, & aut bibula sine vestibus errat arena,
Aut, vbi lassata est, seductos nacta recessus
Gurgitis, inclusa sua membra refrigerat vnda.
Ecce fretum scindens alti nouus incola ponti

Nuper in Euboica versis Anthedone membris 905
Glaucus adest, visæq; cupidine virginis ardet.
Et quæcunq; putat fugientem posse morari,
Verba refert, fugit illa tamen, veloxq; timore
Peruenit in summũ positi prope littora montis.
Ante fretum est ingens apicem coniectus in vnum 910
Longa sub arboribus cõuexus ad æquora vertex.
Constitit hic, & tuta loco monstrum ne deus ne
Ille sit ignorans, admiraturq; colorem,
Cæsariemq; humeros, subiectaq; terga tegentem,
Vltimaq; excipiat, quod tortilis inguina piscis 915
Sensit, & innitens, quæ stabat proxima moli,
Non ego prodigium, nec sum fera bellua virgo,
Sed deus (inquit) aquę, nec maius in æquore Proteus
Ius habet, & Triton, Athamantiadesq; Palæmon.
Ante tamen mortalis eram, sed scilicet altis 920
Deditus æquoribus, tantum exercebar in illis.
Nam modo ducebam ducentia retia pisces,
Nunc in mole sedens moderabar arundine linum.
Sunt viridi prato confinia littora, quorum
Altera pars vndis, pars altera cingitur herbis. 925
Quas neq; cornigeræ morsu læsere iuuencæ,
Nec placidæ carpsistis oues, hirtæve Capellæ.
Non apis inde tulit collectos sedula flores,
Non data sunt capiti genialia serta, nec vnq̃
Falciferæ secuere manus, ego primus in illo 930
Cespite consedi, dum lina madentia sicco.
Vtq; recenserem captiuos ordine pisces,
Insuper exposui, quos aut in retia casus,
Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.
Res similis fictæ, sed quid mihi fingere prodest? 935

Gramine contacto cœpit mea præda moueri,
Et motare latus, terraq; vt in æquore niti.
Dumq; moror, mirorq; simul, fugit omis in vndas
Turba suas, dominũq; nouũ, littusq; relinquũt.
940 Obstupui, dubitoq; diu, causamq; requiro,
Num deus hæc aliquis, nũ succus fecerit herbæ.
Quæ tamen has inq̃ vires habet herba? manuq;
Pabula decerpsi, decerptaq; dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura succos,
945 Cum subito trepidare intus præcordia sensi,
Alteriusq; rapi naturæ pectus amore.
Nec potui restare diu, repetendaq; nunq̃
Terra vale dixi, corpusq; sub æquore mersi.
Di maris exceptum socio dignantur honore.
950 Vtq; mihi quæ cunq; feram mortalia demant,
Oceanum, Tethynq; rogant, ego lustror ab illis.
Et purgante nefas nouies mihi carmine dicto
Pectora fluminibus iubeor supponere centum.
Nec mora, diuersis lapsi de partibus amnes,
955 Totaq; vertuntur supra caput æquora nostrum.
Quæ postq̃ redeunt, alium me corpore toto,
Ac fueram nuper, nec eundem mente recepi.
Hactenus acta tibi possum memoranda referre,
Hactenus & memini, nec mens mea cætera sensit.
960 Hanc ego tum primũ viridem ferrugine barbam,
Cæsariemq; meã, quam longa per æquora verro,
Ingentesq; humeros, & cœrula brachia vidi,
Cruraq; pinnigero curuata nouissima pisce.
Quid tamẽ hæc species? quid diis placuisse marinis?
965 Quid iuuat esse deum? si tu non tangeris istis?
Talia dicentem, dicturum plura reliquit

Scylla deum, furit ille, irritatusq; repulsa
Prodigiosa petit Titanidos atria Circes.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. XIIII.

AMQVE giganteis iniectam faucibus Aetnam,
Aruaq; Cyclopum, quid rastra, quid vsus aratri
Nescia, nec quicquam iunctis debentia bobus,
Liquerat Euboicus tumidarum cultor aquarum
Liquerat & Zanclen, aduersaq; mœnia Rhegi, 5
Nauifragũq; fretum, gemino quod littore pressum
Ausoniæ, siculæq; tenet confinia terræ.
Inde manu magna tyrrhena per æquora vectus,
Herbiferos adiit colles, atq; atria Glaucus
Sole satæ Circes variarum plena ferarum. 10
Quam simul aspexit dicta, acceptaq; salute,
Diua dei miserere, precor, nam sola leuare
Tu potes hũc dixit (videar modo dignus) amorẽ.
Quanta sit herbarum Titani potentia nulli
Quam mihi cognitius, qui sum mutatus ab illis. 15
Neve mei non nota tibi sit causa furoris,
Littore in Italico Messenia mœnia contra
Scylla mihi visa est, pudor est promissa, precesq;
Blanditiasq; meas, contemptaq; verba referre.
At tu siue aliquod regnũ est in carmine, carmen 20
Ore moue sacro, siue expugnatior herba est,
Vtere tentatis operosæ viribus herbæ,